

dentium saltem tacite revocet cuncta regularium privilegia, quæ alicui cuicumque tandem decreto illius etiam sine ulla clausula derogatoria posito sunt contraria, est dicere, quod idem concilium prorsus omnia regularium proprie dicta privilegia revocet et sibi ipsi expresse contradicat, atqui hoc dici nequit, ergo. Probatur major. Concilium Tridentinum sess. 25, *de Reformat.* expresse decernit, quod sacratissimi canones et leges ecclesiasticæ omnes ab omnibus indistincte debeant observari: ibi: « Quapropter sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte esse observandos; » ergo dicere, quod per quodvis decretum etiam sine clausula derogatoria positum deroget cunctis privilegiis tali decreto contrariis, eaque tacite revocet, est dicere, quod prorsus omnia regularium privilegia proprie dicta revocet, eo ipso, quod cuncta regularium privilegia proprie talia, sint contra jus commune, et sacros canones, consequenter huic ultimo decreto contraria, utpote quod expresse vult, ut sacri canones ab omnibus indistincte et exacte observentur, atqui dicere, quod concilium Tridentinum omnia regularium privilegia revocet, est dicere, quod sibi ipsi contradicat, cum sess. 25, *de Regularib.* cap. xx, expresse contrarium dicat, per textum supra n. 136, allegatum: ergo.

144. *Probatur etiam consuetudine passim vigente.* — Confirmatur quarto: Consuetudo est optima legum interpret, c. *Cum dilectus*. 8. *Consuetud.* atqui videmus passim vigere consuetudinem, quod regulares libere utantur suis privilegiis, quæ nec per decreta in sess. 25, nec per aliarum sessionum decreta expresse sunt revocata, etsi cæteroque contra aliquod ejusdem concilii decretum sine derogatione privilegiorum positum militent, ergo.

145. *Ponitur, et solvitur objectio de revocatoria privilegiorum clausula a concilio posita.* — Objicies contra doctrinam conclusionis num. 139, positæ, et huc usque probatæ. Concilium Tridentinum sess. 25, *de Regularib.* cap. xxii, per textum supra n. 137, allegatum præcipit cuncta sua decreta etiam a regularibus observari, non obstantibus eorum quibuscunque privilegiis, etc., ergo per hanc clausulam derogavit omnibus regularium privilegiis, quæ alicui cuicumque tandem decreto illius adversantur. Resp. Concilium Tridentinum cit. loc.

derogare duntaxat regularium privilegiis, quæ adversantur alicui ex decretis in sess. 23, *de ipsis Regularibus* positis, utpote, quæ non obstantibus privilegiis observantur ibidem præcipit: non vero derogare per illam clausulam privilegiis, quæ militant contra aliquod decretum in præcedentibus sessionibus, absque derogatione privilegiorum positum: idque colligitur tum, quia ibidem non præcipit, ut observentur omnia contenta in superioribus sessionibus, sed. N. B. in superioribus decretis sessionis 25, de regularibus specialiter habitæ; tum ex ipso textu cit. cap. xxii, hoc ipso enim, quod concilium ibi in terminis expressis præcipiat, ut omnia et singula in superioribus decretis contenta a regularibus cunctis, non obstantibus privilegiis observentur, manifeste indicat, se tantum loqui de omnibus et singulis decretis dictæ sessionis 25, *de Regularibus*, ex destinato factis, non vero de omnibus et singulis decretis totius concilii; cum non omnia et singula, sed paucissima tantum priorum sessionum decreta regulares concernant: Legatur cap. xxii, sessionis 25, de regularibus attente, et clare apparebit, quod, dum ibi sancta synodus præcipit, ut non obstantibus privilegiis omnia et singula in superioribus decretis contra regulares observentur, certe ibidem non intelligat omnia et singula in toto concilio contenta, utpote regulares in paucis concernentia, sed de omnibus et singulis contenta in decretis ejusdem sessionis 25, de regularibus specialiter habitæ.

146. *Respondetur, etiam ad Bullam Pii IV.* — Objicies secundo: Bullam Pii IV. in principis Apostolorum Sede, et refertur tom. II. Bullarii, fol. 135, estque ejusdem Pontificis constitutio 94, ubi Papa omnia et singula etiam regularia quorumcunque privilegia sub quacunque excogitabili forma, et ex quacunque causa concessa, universaliter ac indistincte revocat, et annullat in omnibus et singulis, in quibus illa statutis, et decretis concilii Tridentini contrariantur; ergo non tantum privilegia decretis sess. 25, *de Regularibus*, vel alicui ex prioribus sessionibus decreto cum expressa derogatione privilegiorum in posito adversantia, sed etiam illa revocat, quæ alicui cuicumque tandem decreto dicti concilii contrariantur. Resp. cum Roderiquez cit. tom. I, q. 8, art. 7, et aliis: hanc Bullam minime obesse conclusioni n. 139, positæ. Ratio est, quia

dicta Bulla per suam clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia decreta concilii Tridentini exacte observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari vult ipsum concilium; eo quod lex, vel constitutio aliqua, quæ fit ad corroborandam aliam, (qualis est præfata constitutio aliqua Pii IV, respectu decretorum, et legum dicti concilii, utpote quæ fuit edita in majus robur, majoremque observantiam eorundem decretorum, uti patet ex illis verbis Bullæ: Nos, quibus imprimis cordi est, tam sancta, et Ecclesiæ Dei saluberrima decreta, suos, ut par est, effectus ubique consequi, et ab omnibus obedienter observari, etc.) necessario debeat intelligi, et interpretari juxta sensum et mentem legis, quam corroborat, ita ut easdem limitationes, et extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeat corroborans, uti cum Glossa bene advertit Felinus; cum enim referens se ad aliquid, debeat intelligi secundum id, ad quod se refert, arg. I. *In Testamento*, ff. *de condit. et demonstrat.* etiam Bulla Pii IV, referens se ad decreta concilii, debet secundum mentem, et sensum dictorum decretorum intelligi et explicari; consequenter, quia ipsa decreta concilii sine clausula privilegiorum derogatoria posita non derogant privilegiis juxta dicta, nec ipsa Bulla corroborans dicta decreta eisdem derogat, sed ea eodem modo et sensu relinquit in suo valore, quo ea relinquuntur a decretis.

147. *Regulares nec in foro conscientie uti possunt suis privilegiis a concilio Tridentino expresse revocatis.* — Quæritur V. An regulares saltem in foro conscientie possint suis privilegiis uti, a concilio Tridentino expresse revocatis, vel eidem contrariis? Resp. I. Quamvis non desint docentes, regulares uti posse privilegiis etiam expresse revocatis a concilio Tridentino tamen negativa hodie est certa quoad illa privilegia, quæ post concilium de novo non sunt concessa, eo quod sententia contraria hodie sit damnata, ab Alexandro VII, in illis terminis: « Regulares possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata a concilio Tridentino. » Expresse autem a concilio revocata sunt omnia et sola illa, quæ sunt contraria alicui ex decretis sess. 25, *de Regularib.* vel etiam alicui priorum sessionum decreto cum expressa clausula privilegiorum sufficienter derogatoria posito.

148. *Bene vero illis, quæ quidem sunt contraria alicui decreto concilii Tridentini, ab eo tamen non fuere revocata.* — Resp. II. Non tantum in foro interno, sed etiam externo valide et licite utuntur regulares privilegiis, quæ sunt contraria alicui ex præcedentibus decreto sine ulla privilegiorum derogatoria clausula posito. Patet conclusio per iura, rationes et doctores a n. 139, positos. (ADNOTATIO XLIV.)

§ VII.

DE PRIVILEGIIS VIVÆ VOCIS ORACULO CONCESSIS; AC REVOCATIONE ET VALORE ILLORUM.

149. *Vivæ vocis oraculum quid?* — Quæritur I. Quid et cujus valoris sit privilegium vivæ vobis oraculum?

Resp. I. Vivæ vocis oraculum esse privilegium, quod princeps, v. g. Pontifex sola voce, seu oretenus duntaxat concessit; quamvis subinde, ut etiam pro foro externo probari, et praticare valeat, postea in scripturam redigatur, et testimonio authentico ab iis, quibus ex officio incumbit, fide dignum reddatur. Ita in re communis, patetque ex terminis.

150. *Pro foro interno ejusdem est valoris cum privilegio in scriptis dato.* — Resp. II. Gratæ et privilegia vivæ vocis oraculo concessa quoad substantiam pro foro interno sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. Rursus communis, textu claro can. *Institutionis*, 7, cau. 25, q. 2, patetque ex dictis supra h. t. n. 28, ubi diximus et probavimus, ad essentiam et substantiam privilegii non requiri scripturam, consequenter quoad substantialem vim et efficaciam oraculum vivæ vocis idem valere, quantum valet privilegium in scriptis concessum. Accedit Leonem X, specialiter concessisse nostro ordini, quod vivæ vocis oracula non sint minoris valoris et efficacie, quam privilegia per Bullam concessa, uti videre est in nostro *Compendio privilegiorum*, §. *Oracula vivæ vocis*.

151. *Non item pro foro externo, nisi probetur.* — Dicitur autem notanter pro foro interno; quia ut etiam pro foro externo praticari valeant, non sufficit, illa esse concessa sed insuper requiritur, ut testimonio authentico concessio illorum probetur; Donatus, tom. I, p. I, tr. XV, q. 2, n. 5, patetque ex Constitutione Julii II, Romani Pontificis et

Regul. Cancellariæ 52. Ratio est, quia alias quis dicere posset, se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, sicque prætextu oraculi vivæ vocis eludere leges et canones in foro externo non sine perturbatione boni communis.

152. *Privilegia vivæ vocis oraculo concessa hodie pro utroque foro sunt revocata, aliquibus exceptis.* — Quæritur II. An et quæ oracula vivæ vocis de facto sint revocata? et quæ non? Resp. I. Omnia et singula privilegia quibuscunque capitulis, collegiis, ordinibus, vel personis eorum a quocunque tandem Pontifice usque ad Urbanum Papam vivæ vocis oraculo concessa hodie pro utroque foro sunt revocata, ita ut nec in foro interno, nec externo amplius uti liceat hujusmodi privilegiis vivæ vocis oraculo concessis; etsi ad supplicationem regum sint concessa, ac de iisdem vere concessis cardinales propria manu scriptum testimonium ferant; nisi per officiales, et ministros illos, quibus incumbit ratione officii, gratis, privilegiis et favoribus per Pontifices oretenus, seu vivæ vocis oraculo concessis, aut in futurum concedendis finem facere, et authenticare, ac quibus officialibus propterea fides haberi solet, et debet, sint authenticata. Ita hodie unanimis, et certa ob claras et expressas revocationes a Gregorio XV et Urbano VIII, factas. Enimvero Gregorius XV per suam constitutionem Romanus Pontifex in specula, quæ est 27 in t. III Bullarii Cherubini universalem vivæ vocis oraculorum fecit revocationem sequentem.

153. *Bulla Gregorii XV revocatoria.*

Gregorius XV, papa, ad perpetuam rememoriam.

« Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina, providentia constitutus, gratias et indulta a se prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

» § I. Itaque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias, et concessionem quascunque spirituales et ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad externum spectantes, ac

tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quocunque, et quatercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis collegiis, capitulis, tam mendicantium, quam non mendicantium, societatibus, etiam societati Jesu, ac congregationibus quibuslibet, sive eorum, et earum respective præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus generalibus, vel provincialibus quocunque nomine nuncupatis, superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediate subiectis, cujuscunque dignitatis præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem regum concessis, in iis, videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore, et esse, neque in posterum cuipiam suffragari posse, vel debere, neque aliquem, iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, et specifica mentio etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, et declaramus.

» § II. Firmis tamen, et in suo robore permanentibus omnibus indultis, et aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S. R. E. cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, et de quibus iidem S. R. E. cardinal. testimonium in scriptis præbuerunt.

» § III. Decernentes, præsentibus litteris, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, ad jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

» § IV. Sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios,

sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

» § V. Non obstantibus præmissis quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ordinibus, societatibus, et congregationibus prædictis, eorumque præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus, et aliis superioribus prædictis, sub quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totistenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habend. illis alias in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

» § VI. Volumus autem, ut præsentium transcriptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

» § VII. Quodque eadem præsentibus litteræ, seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

» Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2 Julii 1622, pontificatus nostri anno secundo. »

154. *Et Urbani VIII, etiam oracula ad instantiam regum, vel testimonio cardinalium probata revocantur.* — In qua tamen Bulla quoad § 1 et 2, bene advertendum, quod licet ibidem a revocatione excipiantur vivæ vocis oracula ad supplicationem regum con-

cessa, necnon illa, de quorum concessione cardinales in scriptis testimonium ferunt, tamen juxta tenorem conclusionis num. 152, positæ, etiam hæc non amplius valeant, eo quod illa quoque expresse revocaverit Urbanus VIII in sua constitutione: Alias Felicis recordationis Gregorius XV, quæ est 21, inter Constitutiones dicti Urbani VIII, in Bullario Cherubini, ubi § 2, revocationem etiam præfatorum oraculorum sequentibus verbis exprimit: « Omnia et singula privilegia vivæ vocis oraculo, et NB. S. R. E. cardinalium quorumcunque manu firmata, etc., quibuscunque etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam regum et principum quorumcunque cassamus, annullamus, etc. » Cæterum cum tota Bulla præcipue pro revocandis primo dictis oraculis edita est, reliquum sat longum Bullæ tenorem huc ponere supersedemus, et lectorem ad Bullarium Cherubini remittimus.

155. *Privilegia vivæ vocis oraculo concessa illa, quæ probantur testimonio illorum officialium, aut ministrorum Papæ, quibus de gratis a Pontifice concessis fides haberi solet, et debet, pro utroque foro adhuc valent.* — Resp. II. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa illa, quæ per officiales et ministros, quibus vi officii sui de gratis et privilegiis per Pontifices oretenus concessis vel concedendis fides haberi solet et debet, authenticata, seu de quibus præfati officiales testantur, eaque revera fuisse concessa, testimonium ferunt, consequenter, quæ vere authentica existunt, non sunt revocata, sed omnia et singula eaque sola a quocunque tandem Pontifice fuerint concessa, in utroque foro adhuc valent, valideque et licite practicari possunt. Communis et certa. Ratio est, quia ita expresse declaravit idem Urbanus VIII in Constitutione, quæ etiam incipit, *Alias felicis recordationis*, quatuor tamen post præcedentem Constitutionem annis primum edita, et centesima quadragesima prima existit in Bullario Cherubini, ubi Pontifex postquam per extensum adduxit supra n. 153 allegatam Constitutionem Gregorii XV suamque propriam n. 154 citatam, postea § 3, sic statuit:

156. *Probatur ex Bulla Urbani VIII.* — « § III. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris et Sedis apostolicæ officialibus, seu ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione, de gratis concessionibus, et dispositionibus quibuscunque per

nos faciendis, mandatisque, et jussionibus nostris exequendis, aliisque rebus, et negotiis gerendis, nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato facienda, gerenda et executioni demandanda vivæ vocis oraculo commiserimus, et in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmiori gestorum de mandato nostro per eosdem officiales, seu ministros validitati, eorumque officialium, seu ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine officiales, seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones ex officiorum suorum auctoritate, et prærogativa de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat, quoad ea, quæ ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris prædictis super revocatione oraculorum hujusmodi emanatis minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendere debere declaramus, et decernimus; et ad abundantiore cautelam eosdem officiales, seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, et plenarie reintegramus in omnibus, et per omnia, per inde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent.»

157. *Inter officiales præfatos possunt etiam esse cardinales, et revera sunt, si ad id a Pontifice deputantur, vel protectores ordinis existunt.* — Ex qua proin constitutione satis probata habetur conclusio n. 155, posita: simulque patet, quare in antecedenti conclusione num. 152, posita notanter addiderimus limitantem clausulam: «Nisi per officiales, et ministros illos, etc.» Ubi notandum, quod inter hos bene etiam esse possint cardinales, adeo, ut, etsi absolute loquendo cardinalis cujuscunque testimonium de oraculo concessio non sufficiat pro valore oraculi, sufficiat tamen, si alicui cardinali, ut de illo testetur, a Papa specialiter committitur; vel si protector ordinis, de quo testatur, existit; quia etiam tali ex officio a Pontifice commisso incumbit, de iis saltem, quæ talem ordinem concernunt, testari ut post Peyrinum bene advertit Donatus, t. I, tr. XVI, q. 12.

158. *Plura adhuc existunt oracula vivæ vocis, et quæ?* — Inferitur I. Plurima adhuc

valere privilegia vivæ vocis oraculo concessa; quia plura habentur debite authenticata, consequenter sub revocatione Gregorii XV, et Urbani VIII, non comprehensa. Cujusmodi oracula sunt omnia illa, quæ in nostro compendio privilegiorum ab Hieronymo a Sorbo juxta decreta concilii Tridentini, et alias constitutiones Pontificias reformato, comprehenduntur, et signantur sub littera majoris O. Sciendum namque quod privilegia, quæ in dicto comprehensa sequuntur, seu notantur sub præfata littera majori O. indicent vivæ vocis oraculum vere authenticum: signata vero sub littera parvi o, vivæ vocis oraculum non authenticum.

159. *Oracula vivæ vocis concessa ante Leonem X.* — Inferitur II. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore Leonis X, item concessa ante Gregorium XIII, imo etiam ante Clementem VIII, hodie adhuc saltem pro foro interno valere. Ratio imprimis de concessis usque ad Leonem X, est, quia illa non sunt revocata per Gregorium XV, et Urbanum VIII. Siquidem Leo X, concessit, quod Fratres Minores Regularis observantiæ securam conscientiam possint uti omnibus a Sede Apostolica sive per Bullas, sive per Brevia, sive vocis vivæ oraculo concessis privilegiis, prout ea in libris ordinum reperiuntur. Et pro majori conscientiarum securitate pro foro interno omnia de novo concessit vivæ vocis oracula authentica: uti videre est in nostro Compendio privilegiorum; atqui vivæ vocis oracula vere authentica, seu testimonio officialium ad id deputatorum comprobata non sunt revocata, uti patet ex dictis n. 155, et sequentibus; ergo.

160. *Item ante Gregorium XIII.* — Ex eadem ratione; quia videlicet non sunt revocata, valida adhuc existunt vivæ vocis oracula usque ad tempora Gregorii XIII, et ab ipsomet concessa; eo, quod hic Pontifex minimorum, et nostri ordinis privilegia cuncta, etiam vivæ vocis oraculo concessa, per specialem Bullam ex certa scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine confirmari, et innovari, sicque de novo concesserit; cum confirmatio privilegiorum ex certa scientia, novum jus, novamque concessionem efficiat per dicta supra 19, concessio autem privilegiorum per Bullam facta revocata non sit; uti bene ad propositum argumentatur Peyrinus, tom. II, privileg., cap. XII.

Nec obstat, quod dicit Bordunus, tom. II, *Resolut. 31, n. 5*, videlicet, quod confirmatio oraculorum non mutet naturam eorum. Respondetur enim, hoc verum esse, si vivæ vocis oracula confirmantur et innovantur novo vivæ vocis oraculo, secus tamen, si dicta oracula confirmantur et innovantur per Bullam ex certa scientia, tunc enim utique acquirunt novam naturam, et novum esse, cum ex vivæ vocis oraculis evadant privilegia scripta, eorumque naturam assumant, uti bene observat Pelliz., tr. VIII, cap. I, n. 132.

161. *Et Clementem VIII concessa adhuc valent.* — Pariter etiam Clemens VIII, ex certa scientia confirmavit, et innovavit, consequenter ob clausulam, ex certa scientia, de novo concessit omnia ordinis nostri privilegia, a quocunque Pontifice sive per Bullam, sive vocis oraculo concessa; adeo, ut vivæ vocis oracula ante ipsum concessa per Bullam ipsius evaserint privilegia Bullata, ac per consequens revocationi Gregorii XV, et Urbani VIII, minime subjecta.

162. *Et quidem omnia quoad forum internum, non tamen omnia quoad forum externum.* — Dicitur autem notanter in illatione secunda n. 159, posita, saltem pro foro interno. Tum quia Leo X, vivæ vocis oracula de novo concessit pro foro duntaxat interno; tum quia etsi Gregorius XIII, et Clemens VIII, omnia et singula oracula vivæ vocis confirmarint, et de novo concesserint per Bullam juxta dicta n. 160 et 161, ibi tamen omnia et singula concessa probare non possumus, consequenter omnia et singula pro foro externo non valent, sed illa tantum, de quibus vel authentice constat juxta dicta: vel reliquis, quæ quidem in libris ordinum reperiuntur; cæteroquin tamen in specie tanquam authentica probari non possunt (qualia sunt omnia, quæ in nostro Compendio littera minoris o signantur) pro solo foro interno valentibus, utpote pro hoc solo a Leone X, confirmatis.

163. *Oracula vere concessa post Urbanum VIII omnia et singula valent pro foro interno.* — Inferitur III. Vivæ vocis oracula post Urbanum VIII, concessa valere, et quidem pro foro interno omnia et singula, de quibus sufficienter constat, quod fuerint concessa, etsi de iis testimonium authenticum ab officialibus supra dictis non habeatur, sed alii fide digni superiores, generales, provinciales, procuratores generales, aut alii hu-

jusmodi fide digni, in quorum præsentia Papa privilegium oretenus concessit, de illis testimonium ferunt. Ratio patet, quia cum par in parem non habeat imperium, consequenter constitutiones Gregorii XV, et Urbani VIII, manus successorum non ligent, et nec ad eorum novas concessionem se extendant, procul dubio hujusmodi subsequentes concessionem vivæ vocis oraculo factæ in foro conscientie valebunt, si de eorum concessione quocunque testimonio fide digno constet. Accedit, quod dictæ constitutiones ex professo, et præcise loquantur de oraculis antea concessis, minime vero concedendis, uti legenti patet.

164. *Non tamen pro foro externo, nisi sufficienter in illo probari valeant.* — Verum, ut talia vivæ vocis oracula post Urbanum VIII, concessa etiam pro foro externo valeant, non sufficit quodvis cæteroquin fide dignum testimonium de eorum concessione, sed debet esse tale, quale ad probandum in foro externo alias requiritur, et sufficit; quamvis absolute necesse non sit testimonium supra n. 155, allegatum officialium; sed sufficiat etiam aliud cæteroquin in jure sufficiens; cum probatio per testimonium dictorum officialium ab Urbano VIII, præscripta, solum ad probanda oracula præcedentia, non item futura concedenda se extendat, per rationes num. præcedenti allegatas.

§ VIII.

DE AMISSIONE PRIVILEGIORUM PER INTERITUM PERSONÆ, AUT REI PRIVILEGIATÆ, AC PROP-
TER ABUSUM, DAMNUM SUPERVENIENS, LAPSUM
TEMPORIS, ET CESSATIONEM CAUSÆ.

165. *Ratio rubricæ.* — Quia non solum revocatione, sed pluribus aliis de causis contingit amitti privilegia, ut bene notat Glossa, can. privilegium, 11, q. 3, et amplius patebit ex dicendis. Hinc:

166. *Privilegium personale perit per interitum personæ privilegiatæ.* — Quæritur I. An privilegium amittatur non solum per interitum personæ privilegiatæ, sed etiam privilegiantis? Resp. I. Certum est privilegium singulariter personale amitti per interitum personæ, utpote cui adhæret, juxta *Reg. 7. Jur.* in 6. «Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona,» una cum Concordantiis n. 13, adductis.